

habere bonum finitum cum adjectione alterius boni est melius; atque ipsa promissio boni, quæ est votum, est aliud bonum; ergo conjunctum bonitati operis facit melius.

Obj. 1. Illud Apost. 2. Cor. 9. *Unusquisque sicut prout destitavit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate: hilaritatem enim datorem diligit Deus.* Et illud Prosp. l. 2. *de vita contempl. c. 24. Sic abstinere, vel jejulare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus, ne jam non devoti, sed invitum rem voluntariam faciamus;* atque ille, qui vovet jejunium, subdit se necessitati jejunandi: & sæpe ex tristitia facit, quia necessitas contristans est, ut dicitur 5. Metaph. text. 6. ergo R. (*Hic a. 6. ad 1. & 2.*) Laudatas auctoritates intelligendas esse de necessitate, quæ provenit ab extrinseco contra voluntatem, sive sit vera coactio, sive quæ similitudinem habet cum illa, ut metus, pudor, &c. hæc est enim contristans, involuntarium causans, & devotionem tollens. Unde signanter dixit Prosper: *Ne non jam devoti, sed invitum rem voluntariam faciamus.* Non verò de necessitate, quam quis sibi voluntarie imponit, & quæ est tantam necessitas finis; hæc enim nec voluntarium facit, nec tristitiam auget; sed voluntatem firmat in bono, ut dicitur text. 6. & devotionem auget; unde Aug. Ep. 45. *Felix est necessitas, quæ ducit ad meliora.*

Inst. Sæpe tamen, qui voverunt, tristantur de necessitate sibi per votum imposita, ideoque eos voti poenitent: ergo R. Hanc tristitiam non causari ab ipso voto secundum se, quod e contra firmat & expeditorem reddit voluntatem ad bonum, sed vel ex constantia voventis, vel ab eventu superveniente.

Inferes: ergo saltem in hoc casu opus factum ex voto non est melius, quam factum sine voto. Esi concederemus illationem, nihil contra nos, quia id accidit per accidens, & non ratione voti secundum se; sed ad hujus instantiæ explicationem est distinguendum. Si sic voti poenitent, ut tamen remaneat voluntas votum adimplendi, quia vovit, aut quia veretur offendere Deum, adhuc est magis meritum, quam si fieret sine voto, quia est actus Religionis, quæ est potior virtus, quam abstinentia v. gr. cuius jejunium est actus. Si verò sic voti poenitent, ut voluntas adimplendi voti maneat, non ex affectu voti, aut metu Deum offendendi, tunc opus ex voto non est melius, imò nullatenus est meritum, quia non fit ex voluntate placendi Deo.

Si peccat, utrum ipsa voti poenitendo sit peccatum? R. Remanente voluntate voti adimplendi, ut in primo membro distinctionis præcedentis, & nulla subsistente causa poenitendi, videtur peccatum veniale cuiusdam ingrati-tudinis. Si autem causa adsit, nullum videtur peccatum, quia sicut antea non tenebatur velle vovere, ita hoc modo tenetur velle vovisse, maxime dum causa subest. Nec obstat, poenitentiam rei bonæ videri semper malam, id quidem verum est, si res bona sit necessaria; secus, si sit libera. Si autem voventem sic poenitent, ut nolit amplius adimplere votum, aut vellet non adimplerisse, evidens est peccare mortaliter pro gravitate materiæ. Si tandem sic poenitent, ut remaneat voluntas adimplendi ex solo metu damnationis, aut ex motivo humano, alias non adimpletur, supposito affectu actuali ad transgressionem, peccat mortaliter, ut antea; secluso autem tali affectu, non videtur peccare, nisi ex ingratitude, sed nec mereri, ut dicitur text.

Obj. 2. Minus placet opus debitum, quam gratuitum: ergo R. D. Ant. si sit debitum ex propria voluntate debentis, N. Sic enim in suo principio est gratuitum; si aliunde sit debitum, ut v. gr. pretium rei emptæ, commodatum, &c. C. Ant.

Obj. 3. Non est magis laudabile facere aliquid ex juramento, quam sine juramento: ergo nec ex voto. R. N. Consequ. Disparitas est, quod per votum aliquid in Dei reverentiam ordinamus, & ideo ex hoc ipso fit Religio actus. Sed in juramento e converso reverentiam Divini Nominis assumimus ad promissi confirmationem, & ideo quod juramento firmatur, non propter hoc fit Religio actus.

ARTICULUS V.

De variis Divisionibus Voti, & in quo sit a sit ejus sollemnitas?

Votum, aliud est personale, aliud reale, aliud mixtum. Require supra a. 3. §. 4. in initio.

2. Votum aliud est absolutum, quo quis simpliciter &

absolutè independentèr a conditione aliquid Deo promittit. Aliud conditionatum, quo promittit aliquid sub conditione extrinseca de futuro. Dico: *Extrinseca*; quia conditiones, quæ insunt voto ex natura rei, vel ex dispositione juris, non censentur reddere ipsum propriè conditionatum. Dixi etiam: *De futuro*; quia conditio de præsentis, vel præteriti, ut *Si pater meus vivit*, vel *Si pater meus sit mortuus*, ingrediatur Religionem, non facit etiam votum propriè conditionatum. Tale enim votum, vel parit statim obligationem, si conditio existat, suspensam tamen, si ignoretur, vel nullam parit, si non existat. Est autem duplex votum conditionale; pœnale scilicet, & simplex. Pœnale est, quo vovetur pœna sub conditione culpæ, ut voveo dare assem pauperibus, si blasphemavero. Simplex, quo promittitur aliquid sub conditione, quæ non sit culpa, ut voveo ingredi Religionem, si convalescero. 3. Votum aliud est expressum, quod expressis terminis emittitur. Aliud tacitum, quod aliqui actioni tenentur, licet expressè non emittatur. Sic, qui suscipit sacros Ordines, tacitè emittit votum castitatis, quod sacre Ordinationi est annexum ex statuto Ecclesiæ. Qui perficit integrum Novitiatus annum animo profectus, est tacitè professus, nisi antè finem anni reclamaverit Religio. 4. Votum aliud perpetuum, aliud temporale. Patet ex terminis. 5. Votum aliud simplex, aliud sollemne. (*Hic a. 7. ad 3.*) Primum non dicitur simplex ex eo, quod fiat privatim & sine cœremoniis; sed secundum dicitur sollemne, quod fiat publicè & cum cœremoniis: nam & sollemne potest emitti privatim coram paucis, & simplex coram multitudine & in publico. In quo igitur constat voti sollemnitas, ex qua utriusque voti simplicis & sollemnis essentia, ac differentia cognoscatur, disputant Auctores. Unde

Dico cum S. Th. & Thomistis contra plures alios: Votum simplex consistit in simplici promissione; sollemne verò in promissione simul & traditione absoluta & irrevocabili, atque reciproca acceptance, facta ab habente legitimam auctoritatem.

Prob. 1. (*In 4. d. 38. q. 1. a. 2. q. 3.*) Ex hoc votum dicitur sollemne, quod habeat esse completum, seu completam vim obligandi; ea enim ad sollemnitatem rei pertinere dicuntur, quæ tribuunt ei esse completum; atque votum habet esse completum per traditionem & acceptance: ergo. Prob. Minor. Votum ut sic est essentialitèr promissio; atque promissio habet complementum suæ virtutis per traditionem & acceptance, sive rei promissæ, sive alicujus alterius, unde res promissa haberi potest. Id fit manifestum exemplis: sic, qui alteri promittit fructus agri, & promittendo daret ipsum agrum, sequè obliget ad excolendum juxta voluntatem accipientis; sive qui promitteret alteri servitium, & se in servum daret, utriusque promissionis obligatio foret completa. Sic etiam sponsalia, quæ sunt promissio, completur per traditionem & acceptance matrimonialem: ergo. Confirmatur. (*Ib. a. 4. in arg. s. c. questio. 2.*) Votum sollemne Religionis est quoddam matrimonium spirituale hominis cum Deo, per quod excellentiori modo quam alii fideles Deo conjungitur; in cuius testimonium virginæ dum votum sollemne emittunt, eadem modo velantur, quod olim nuptæ, dum viris suis tradebantur; atque in matrimonio carnali non est sola promissio fidei & officiorum conjugalium, sed est mutua corporum traditio & acceptatio: ergo.

Itaque (*Ibid. a. 2. questio. 2.*) tunc votum dicitur sollemnizari, dum vovens presentialitèr se dat Deo, divinitè se servitium mancipando, quod quidem fit per Ordinis sacri susceptionem & per professionem certæ regulæ, debito tamè modo factam, scilicet in manu ejus, qui debet recipere, & servatis aliis circumstantiis, quæ secundum Jura determinantur: alias non esset votum sollemne, quantumcumquè quis profectus; quis, licet posita legitima traditione & acceptance sequatur ex natura rei quod sit votum sollemne, pendet tamè ab Ecclesiæ apponere certas condiciones, sine quibus nec valida, nec legitima foret traditio & acceptatio, sicut de facto determinavit, quod invalida sit traditio, seu professio antè decimum sextum annum, non completo anno novitiatus, aut in Religione non approbata. Pari modo, licet posito contractu legitimo, ac valido traditionis mutue corporum sequatur ex natura rei, quod sit matrimonium, pendet tamè ab Ecclesiæ apponere condiciones, sine quibus nec legitimus nec validus sit talis contractus, ut de facto determinavit esse nullum, si fiat sine presentia Parochi, & duplicis testis. Et hæc ratione dixerunt Bonifacius VIII. cap. unico *De voto* in 6. Et Gregorius XIII. Bulla, *Ascendente Domino*

nino, quod sollemnitas voti esset inventa ab Ecclesiâ.

Hic advertendum est, quod licet votum continentie dicitur sollemnizari per susceptionem Ordinis sacri, non sit tamè proprie sollemne; quia ordinandus non se tradit ad continentiam, sed ad sacrum Ministerium, cui quidem traditioni ad sacrum Ministerium Ecclesiæ annexum votum continentie dirimens matrimonium, quod ideo interpretativè emittit suscipiens sacros Ordines. Dicitur ergo sollemne, non quod sit propriè tale, sed quia ex Lege Ecclesiastica annectitur alicui sollemnizationi, nempe traditioni ad sacrum Ministerium, quapropter debet potius dici sollemnizatum, quam sollemne; secus in votis Professionis Religiosæ, profectus enim se tradit ad continentiam, paupertatem, & obedientiam, ad eaque absolute acceptatur. Unde hæc tria vota sunt simpliciter sollemnia.

Prob. 2. Conclusio. Voti sollemnitas non consistit, ut volunt adversarii, in statuto Ecclesiæ personam voventem inhabilitante ad certos effectus, nempe ad matrimonium contrahendum, ad dominium habendum, ad se aliis obligandum per obedientiam: ergo. Prob. Ant. (*Hic a. 7. in a. s. c. in 4. d. 38. q. 1. a. 4. q. 3. o. & a. 3. q. 3. in arg. s. c.*) Talis inhabilitas est effectus sollemnitas voti: ergo in ea inhabilitate non consistit sollemnitas voti. Prob. Ant. Hoc ipso quo quis non solum promittit servare castitatem, paupertatem, & obedientiam, sed etiam se ipsum tradit ad illas virtutes servandas & excolendas, sequitur ex natura rei inhabilitas ad contrarios actus, ut dicemus latius, non autem impedimentis matrimonii. Unde est communis hominum sensus quod fecerit votum sollemne, quia non potest inire matrimonium: ergo. Confirmatur. Si sollemnitas voti consisteret in statuto Ecclesiæ inhabilitante voventem ad præfatos actus, sequeretur, quod sublato per Papam, aut Ecclesiæ tali statuto, & remanente voto in eo rigore, quem habet ex natura sua, posset sollemniter Professus (& quidem manens Monachus, juxta adversarios, qui docent sollemnitatem voti non requiri ad statum monachalem) posset inquam, absque dispensatione super voto valide inire matrimonium, sicut, qui voto duxerat simpliciter esse innocens; atque consequens videtur absurdum, & est aperte contra decretum Innocentii III. Cap. *Cum ad Monasterium. De statu Monachali*, ubi dicit: *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia Castitatis adeo annexa est regulæ Monachali, ut contra eam nec SS. Pontifex possit licentiam indulgere:* in casu autem posito licentiam indulgere; si non ad licitè, saltem ad valide contrahendum: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. D. Th. a. 9. & 11. hujus Questionis dicit, sollemnitatem voti consistere in quadam benedictione & consecratione: ergo R. S. Thomam non loqui de verbali, aut aliqua simili benedictione, qualis per Ecclesiæ Prælatos in quibusdam Religionibus sollemniter profectus impenditur, sed de benedictione, seu consecratione, qua persona vovens benedicitur & consecratur, hoc ipso quo ad sanctitatis statum, divinaque obsequia per ministros Ecclesiæ legitime assumitur. Ita ut juxta S. Th. ista benedictio, aut consecratio, nihil sit aliud, quam dedicatio, consecratio, applicatio, deputatio personæ voventis ad statum sanctitatis, facta per superiore legitimum. Sic etiam communiter dicitur aliquid benedictum & consecratum, quando est deputatum usibus sacris. Porro hanc esse mentem S. Doctoris, manifestum est 1. ex 1. probat. conclusionis, quæ ipsiusmet ejus verbis constat. 2. Ex Quodlib. 8. a. 10. ubi dicit: *In voto sollemni est simul promissio & collatio: tunc enim est votum sollemne, quando simul aliquis cum voto consecratur Deo, & ponitur in aliquo statu sanctitatis.* 3. Ex Quodlibeto 3. a. 18. Ubi docens, votum sollemne importare promissionem cum traditione, addit votum continentie non sollemnizari nisi per susceptionem Ordinis Sacri, per quem homo divino cultui mancipatur, vel per professionem religiosam, per quam homo etiam mancipatur ad servandum Deo in Religione. Legatur iterum in 4. q. 38. q. 1. a. 4. q. 3. o. & in Responsionibus ad Arg. ubi probat votum sollemne dirimere matrimonium subsequens, non ex statuto Ecclesiæ, sed ex natura rei, quatenus homo per ipsum amittit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam trade ns.

Inst. S. Th. hic a. 7. o. dicit, hanc benedictionem & consecrationem, in qua reponit sollemnitatem voti, esse ex institutione Apostolorum; atque Apostoli non instituerunt

talem mancipationem cultui divino sub certa Regula cum acceptance per Prælatos Ecclesiæ, maxime cum tunc temporis non essent Regule monachales: ergo R. N. Minorem; & dico, Apostolos exemplo & verbo Religiosæ vitæ professionem per totalem sui mancipationem cultui & obsequio Divino instituisse. (*Hic art. 4. ad 3.*) Et primum Exemplo. Intelliguntur enim vovisse pertinentia ad perfectionis statum, sequè totalitèr cultui divino mancipasse, quando Christum relictiis omnibus sequuti sunt, ad quem statum eos acceptavit Christus Ecclesiæ caput. Deinde verbo & consilio: cum enim vitam plurimorum ex primis Christianis communem instituerint, non est dubium, quin eam instituerint ad normam illius, quam sub Christo egerant. Et sanè in hac communi vita fideles nihil habebant proprium, præstabant Apostolis perfectam obedientiam, erantque sine uxoribus: alias vita communis fuisset plena rixarum sive propter uxores, sive propter liberos. Hinc S. Doctor in hac parte q. 188. a. 7. o. sub finem, dicit, quod a *Discipulis Christi omnis Religio sumperit originem;* & Cassianus collat. 8. c. 5. *Connubitarum*, inquit, *Disciplina a tempore Apostolica prædicationis sumptè exordium: nam talis exiitit Jerosolymis Ecclesiæ, quales nunc per paucos in cœnobiiis invenire difficile est.* Et Possidius in vita S. Aug. c. 5. cum divisisset, quod *Monasterium intra Ecclesiam instituisset*, subjungit, *& cum Dei servis vivere cepit secundum modum & regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.* Lege Sylvium hic in q. 186. a. 2. Nec obstat, (*In 4. d. 38. q. 1. art. 3. q. 3. ad 3.*) quod tunc non erant regule monachales, quales nunc sunt, quod agnoscit S. Th. hic q. 187. a. 3. ad 2. Erat enim saltem aliquis modus vivendi ab Ecclesiâ approbatus, quo aliquid ad ea, quæ supererogationis sunt, se tradebant & obligabant; & hæc traditio atque obligatio ad talem modum vivendi idem faciebat, quod nunc licet obligatio ad certam regulam.

Obj. 2. Auctoritatem supra laudatorum Pontificum, qui dicunt sollemnitatem voti esse inventam ab Ecclesiâ. R. Ex antè dictis sollemnitatem voti esse inventam ab Ecclesiâ, hoc sensu quod, cum neque Jus naturale, neque divinum determinet, quis, ad quid, & quomodo possit se tradere & acceptari, ut traditio & acceptatio sint legitime, penes Ecclesiam est statuere has condiciones, sine quibus non est valida traditio, nec acceptatio, nec consequenter voti sollemnitas: unde dixit S. Th. hic a. 9. o. *Sollemnizationem voti cadere sub dispensatione, sive oratione, Ecclesiæ.* Quod latius explicat Opusc. contra retrahentes a Religione c. 12. Verum, posita semel absoluta & legitima traditione & acceptance, ex natura rei sequitur tale votum esse sollemne. Præter paritatem jam allatam superius de Matrimonio, aliam accipe. Solutus institutionis humanæ est, quod talis sit Rex, aut Dominus; posito tamè quod sit Rex, ex natura rei sequitur, quod cives debeant ipsi obedire. Itaque uno verbo distinguo Ant. voti sollemnitas est inventa ab Ecclesiâ, quatenus a dispositione, approbatione, & acceptance Ecclesiæ pendet, ut si votum sollemne, C. quatenus voto annexum certam inhabilitatem, ut volunt adversarii, N.

Obj. 3. cum recentiore Scotista. In voto simplici eadem prorsus fit traditio & acceptatio, ac in voto sollemni; in primo enim traditio fit immediatè Deo, & a Deo immediatè acceptatur: in secundo autem traditio fit Deo, & a Deo acceptatur mediante superiore; atque hæc traditiones non differunt; quod enim quis facit per alium, per se ipsum censetur facere: ergo R. N. Majorem. Nam in voto simplici non fit traditio saltèr perfecta, ut in voto sollemni, unde votum simplex comparatur sponsalibus, & sollemni Matrimonio. *Pulchra sanè verba*, exclamat ironicè laudatus Scotista: *Pulchra quidem, quia solida, & Scotistarum telis hæc usque impervia.*

Inst. cum eodem. In votis Jesuitarum, post biennium Novitiatus emissis, est vera & perfecta traditio, eaque perpetua, ita ut non possint institutum illud deserere sine Apostasia; atque tamen sunt vota simplicia, ut declaravit Greg. XIII. citata Bulla *Ascendente Domino*: ergo R. 1. D. Majorem est vera & perpetua traditio absolutè, N. Conditionatè, si nempe Superiores judicaverint ipsos in Societate retinere, C. Majorem. Non autem omnis traditio & acceptatio facit votum sollemne, sed ea tantum, quæ est ex omni parte perfecta, absoluta & irrevocabilis: alias deest aliquid ad perfectum promissionis complementum, in quo sollemnitatem voti reponimus. Hinc Layman, nobis in hac parte adversarius l. 5. tract. 10. part. 4. c. 3. n. 3. assignans rationem, cur susceptio Ordinis Sacri, & vota simplicia Societatis non dirimant matrimo-

nium ratum antea contractum, illud autem dirimat Professio solemnitas, dicit: *Quia per professionem (nempe solemnem) censetur fieri perfectissima traditio sui ipsius & reciproca obligatio cum Religione, ideoque mors quadam spiritalis, ac veluti alterum (attendat P. Henno) spirituale matrimonium, cui merito prius secundum carnem initium cedere debet. R. 2. Retorsione argumenti. Votis simplicibus Jesuitarum, post biennium Novitiatus emissis, annexum est ex statuto Ecclesie, nempe ex Bulla cit. Gregorii XIII. impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, & votis simplicibus coadjutorum formatorum ejusdem Societatis annexa est inhabilitas ad dominium, ut docet idem Layman loco citato, & l. 4. tract. 5. c. 1. n. 2.; atqui nihilominus hæc vota remanent simplicia, & non sunt ideo solemnitas: ergo solemnitas voti non consistit in statuto Ecclesie personam votentem ad hos effectus inhabilitante, ut docent adversarii, & specialiter expressis terminis P. Henno.*

Inst. iterum. In votis laudatis est perfecta & completa obligatio ex parte votentis, sic ut verum Religiosum efficit: ergo nihil deest ad ejus complementum. R. N. Ant. Quia obligatio promissionis pendet ex acceptatione promissarii, ita ut non obligaret, si promissarius non acceptaret; & ideo, cum in præsentis casu acceptatio non sit absoluta & irrevocabilis, ita nec obligatio promittentis. Quod autem talis promissio & traditio constituat Religiosum, nihil facit contra D. Th. nec contra nos; quia, dum docet S. Doctor & nos cum ipso, votum solemnizari per Professionem Religiosam, intelligit de Professione Religiosa, qualis fiebat suo tempore, & nunc adhuc communiter fit per absolutam & completam traditionem, & similem reciprocam acceptationem; non negat verò, nec nos negamus, minus perfectam traditionem & acceptationem, quæ non extrahat votum extralimites voti simplicis, posse acceptari ab Ecclesia ad Professionem Religiosam & veram Religionem, ut de facto acceptat vota simplicia Societatis. Unde communiter docent Patres Jesuitæ, Layman, Lessius, &c. solemnitas voti non requiri ad statum Religionis.

Obj. 4. cum eodem. Si statueret Papa, ut vota in Ordine Seraphico emissa non essent solemnitas, sed simplicia, talia forent, ut fitentur adversarii; atqui tamen eadem prorsus esset traditio & acceptatio, quam nunc, quandoquidem illa constitutio nihil intrinsecè variaret: ergo non consistit illa voti solemnitas in illa traditione & acceptatione, sed in statuto Ecclesie. R. Fatemur quidem, posse Papam apponere certas conditiones, sine quibus traditio facta votente & ejus acceptatio, tam in Ordine Seraphico, quam in alio, non esset valida & legitima, adeoque nec vota sic emissa solemnitas. Sed non fatemur, posita semel valida & legitima tam traditione, quam acceptatione absoluta & irrevocabili, posse Papam facere, ut vota non sint solemnitas, quia id sequitur ex natura rei, seu potius est ipsa solemnitas. Sic Papa potest apponere certas conditiones, sine quibus contractus matrimonii sit invalidus, adeoque matrimonium nullum; at, posito contractu valido, efficere non potest, quin sit validum matrimonium. Unde ad Minorem nego, fore eandem saltem acceptationem ex parte Ecclesie: aut dato fore eandem & traditionem & acceptationem entitativè, non fore tamen eandem moraliter, quia non esset amplius valida & legitima ratio alicujus conditionis, quam exigeret Papa ad eorum validitatem.

Obj. 5. cum Coniack. Omne votum, sive simplex, sive solemnitas, est essentialiter promissio, & non traditio: ergo. R. D. Ant. Omne votum, &c. est essentialiter, &c. præcisè qua votum, C. Ant. qua solemnitas, N. Ant. Solemnitas enim ad hunc traditionem & acceptationem, ut dictum est; unde votum solemnitas includit plures actus materialiter & entitativè distinctos.

Inst. Votum simplex & votum solemnitas sunt ejusdem speciei; atqui votum simplex est nuda promissio sine traditione: ergo & votum solemnitas. R. Sunt ejusdem speciei formaliter, Transeat Major, pro quo vide Petr. Ledesma Theol. moral. de Voto c. 6. dub. ultimo. Materialiter & in esse entis, N. itaque, si consideretur, quatenus feruntur in idem objectum sub eadem ratione Religionis, sunt ejusdem speciei formaliter: si autem considerentur materialiter & in esse entis, differunt, quatenus votum simplex est unus actus, scilicet promissio; solemnitas verò sit aggregatum ex promissione, traditione, & acceptatione. Sic v. gr. omnes actus alicujus scientie sunt ejusdem speciei formaliter, quatenus feruntur in idem objectum scientie sub eadem ejus ratione formali; materialiter tamen & in esse entis dif-

ferunt, prout tendunt in objecta materialiter diversa.

Repones. Promissio & traditio inter se pugnant: ergo non possunt uniri. R. D. Ant. Promissio & traditio ejusdem rei, C. Ant. Diversarum rerum, N. In voto autem solemnitate traditur persona votentis ad castitatem, paupertatem, & obedientiam, & promittuntur actus necessarii ab observationem illarum virutum.

Replicabis. Posita traditione personæ votentis ad castitatem servandam, saltè superflua videretur promissio actuum, sicut superflua promitterem alicui numquam utendi contra ejus voluntatem libro, quem ipsi absolute tradidissent: ergo. R. N. Ant. quia etiam posita traditione personæ votentis ad castitatem servandam, actus necessarii ad ejus observantiam sunt adhuc in libera votentis potestate, & ab ipso dependunt; unde non superflua promittuntur. Sicut v. gr. si traderem alteri agrum, non superflua ei promitterem hunc agrum ad ejus nutum excolere. Et sic patet disparitas ab exemplo libri traditi, qui est extralimites potestatem tradentis: sed si poneremus hunc librum romanæ apud me depositum, non superflua promitterem illum fideliter custodire, & a sordibus servare.

Obj. 6. Secundum Jura libr. 5. decretal. tit. 6. c. 6. Votum simplex non minus obligat, quam votum solemnitas; atqui minus obligaret, si consisteret in simplici promissione, & solemnitas in traditione: ergo. R. D. Majorem: *Hic a. 7. ad 1. & Suppl. q. 5. a. 2. ad 3.* Votum simplex non minus, &c. ita ut comparatio fiat in genere peccati, C. ita ut comparatio fiat in quantitate reatus, N. Et ad hunc sensum distincta Minori N. Conseq. Igitur votum simplex dicitur in Jure non minus obligare, quam votum solemnitas, quia mortaliter peccat frangens votum simplex sicut solemnitas, quamvis sit gravior peccatum frangere solemnitas.

Ex his inferes, votum solemnitas Religionis ex se dirimere Matrimonium, ut latius probatur de Matrimonio; quia, qui vovit solemniter castitatem, non habet amplius dominium sui corporis ad usum venererum, sed transfert illud in Deum, ita ut Deus non solum habeat universale ejus dominium sicut aliarum rerum, sed particulare, quale est illud, quod homo habet in se & suis actionibus. Inferes 2. Juxta sententiam, docentem circumstantias notabiliter aggravantes esse accusandas transgressionem voti solemnitas esse explicandam in confessione; quia, dato quod sit peccatum ejusdem speciei cum transgressionem voti simplicis, utpotè contra eandem virtutem Religionis, est saltem circumstantia notabiliter aggravans.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo obliget Votum conditionale & penale?

licet plura hæc pertinentia hinc & inde dixerim, quia tamen in praxi sæpe recurrit, in unum articulum colligenda duxi pluribus aliis additis. Votum simpliciter conditionale, prout a penali distinguitur, est id, quo promittitur aliquid sub conditione extrinseca de futuro, quæ non sit culpa, v. gr. voveo ingredi Religionem, si convalvero. Ex quo proinde oritur obligatio imperfecta & suspensa, pendens nimirum ab eventu futuro in conditionem apposito. Circa quam definitionem quadam notanda sunt: Et 1. Votum sub conditione de presenti, aut præterito non esse propriè conditionale, ut jam dixi superiori articulo. Idem votum sub conditione, quæ ex natura rei, aut ex dispositione Juris inest, non esse propriè conditionale: ut si Religiosus dicat: voveo jejunare cras; ex natura rei inest conditio, *Si vixerò*, ex dispositione Juris, *Si superior non obstat*, & tamen est votum absolutum. Unde dixi in definitione *Conditio extrinseca*. 2. Particula *Si* debet importare veram rationem conditionis, & non temporis; ut si quis dicat: voveo ingredi Religionem, si mater mea moriatur, idem est, ac si diceret, quando mater mea moriatur; quia est conditio necessaria, & non contingens; & ideo votum non est propriè conditionatum. 3. Et quia votum conditionatum parit imperfectam saltem & suspensam obligationem, quæ purificata conditione transit in absolutam; ideo, qui vovit conditionatè, debet servare propositum voti adimplendi, si conditio purificetur, & insuper se non reddere impotentem ad ejus executionem, quamvis eventus conditionatus speratur: nisi conditio pendeat a libera voluntate votentis. Hinc vovens ingredi Religionem, si intra annum luserit, aut inebriatus fuerit, potest non expectato conditionis eventu Matrimonium inire. Ita Navarrus, & alii apud Layman. Ratio videtur hæc, quod in 1. casu cum eventus in-

conditionem appositus a vovente non dependeat, censeatur se obligasse ad illud expectandum: secus in 2. casu propter oppositam rationem.

Hic explicatis, restant quadam alie difficultates paulò difficiliore, breviter tamen expendendæ. Unde

Petes 1. Utrum votum conditionatum obliget, si conditio impleatur non determinatè, sed in simili, & æquivalenti, v. gr. vovisti ingredi Religionem, si pater egenus, qui tua ope indiget, tandem moriatur. Interim pater inopinatè fit dives, nec amplius tua ope indiget, tenerisne Religionem ingredi? Item voves dare 100. libellas pauperibus, si lucrum ex hac tali negotiatione reportes; & tu interim lucrum aliunde captus, sive hæreditario jure, sive ex alia negotiatione, tenerisne dare pauperibus summam, quam vovisti? Responsio, ut videtur, communiter est negativa; quia tua intentio alligata fuit vovendo tali conditioni, & non alteri. Si tamen sic vovendo conditionatè non tam conditionem determinatè, quam facultatem vel ingrediendi Religionem, vel dandi eleemosynam intenditur, non est improbabile, ut quidam volunt, te voto teneri; quia per istud simile, aut æquivalentes jam habes facultatem ingrediendi Religionem, aut dandi eleemosynam, quam principaliter in voto intendebas.

Petes 2. Utrum vovens peccet, si per eum stet quominus impleatur conditio? Suppono, non vovisse conditionem, sed tantum rem præstandam, si conditio ponatur, v. gr. non dissiße: voveo me non juratorem, & si jure me daturum 20. asses pauperibus; sed simpliciter, voveo me daturum 20. asses pauperibus, si jurem. Hoc supposito. R. 1. Si conditio pendeat ex libera votentis voluntate, & non sit aliunde præcepta, non peccat vovens, si per eum stet, quominus ponatur, licet ob eam solam causam ut obligationem voti subterfugiat, v. gr. vovisti, te daturum eleemosynam, si ludas, si jures, &c. non peccas, si a juramento, vel ludo abstineas, ne voto obligeris, quia nulla Lege obligaris ponere conditionem hanc, scilicet ludere, vel jurare; & aliunde voluisti voti executionem pendere a tua libera voluntate. R. 2. Si conditio pendeat quidem ex libera votentis voluntate, sed sit aliunde præcepta, eam omittente ex intentione voti obligationem subterfugendi peccatum est; secus, si omittatur ex fragilitate, aut passione, v. gr. vovisti in gratiarum actionem ingredi Religionem, si spatio unius anni per Dei gratiam abstineas ab ebrietate; & tu voti poenitens, ne teneris ingredi Religionem, inebriaris, peccas non solum contra Temperantiam, sed etiam contra Religionem ratione voti violati: quia sic vovendo tacitè promissisti, quod saltem aliquem vitandi peccati conatum adhiberes, ageresque sincerè, & sine dolo cum Deo tuo. Si verò ex fragilitate, seu passione impellente tentationi consentias, eodem modo te geras, ac si votum non emisisses, non peccas contra votum, quia non censeris amplius promississe. Idem dicendum propter easdem rationes, si conditio pendeat ex causis naturalibus, & aliunde sit præceptum eam impedire; v. gr. vovisti Religionem ingredi, si convalescas ex morbo, peccas contra votum, si ex intentione illud eludendi sanitati ex industria neceas per cibum, aut potum, vel alio modo; secus, si seclusa hac intentione excedas in potu, aut cibo ex gulositate, &c. R. 3. Si conditio pendeat ex libera alterius voluntate, probabile mihi est, te non peccare, si absque vi, fraude, aut dolo, modo alias licitis eam impediatis; secus, si vi, fraude, aut dolo, v. gr. vovisti ingredi Religionem, si Pater consentiat: tu voti poenitens conaris precibus, aut rationibus propositis avertere Patrem a consensu; probabile est, inquam, te non peccare, quia non censeris, te obligasse ad promovendam, aut nulla ratione alias licita impediendam conditionem: certò autem peccas contra votum, si vi, fraude, vel dolo hunc Patris consensum impediatis; tùm quia jam non relinquis Patri liberam voluntatem, ex qua tamen votum pendere voluisti; tùm quia vis, fraus, & dolo nemini patrocinatur. An verò nihilominus teneris voto? dicam modo. Interim,

Quid de hac conditione, *Si Patri placuerit: si Pater consenserit*, quæ sæpe recurrit? Quis ejus sensus? quando censetur impleta? R. Attento usu communi sensus ejus est: *Si Pater non agrè ferat, si non contradicat*. Unde, si Pater dicat, se non contradicere, neque consentire, adimpleta est conditio, nisi constet, aliam fuisse mentem votentis. Item, si Pater moriatur, quia tunc non contradicit, aut agrè fert. Si verò taceat, ad alta signa recurrendum est, quia taciturnitas in quibusdam est signum consensûs, in aliis animi indignè ferentis. Quòd si Pater primò consentiat re cognita, est adimpleta conditio, & completa obligatio,

quæ non tollitur, etsi postea dissentiat; e contra, si primò dissentiat, deficit conditio, & obligatio, quæ non reviviscit, etsi postea consentiat. Intellige semper, nisi aliud intenderit vovens; unde dixi: attento usu communi.

Petes 3. Utrum, qui vi, fraude, dolo, aut aliter peccando impedit ex industria conditionis positæ eventum, teneatur nihilominus votum adimplere, si ad id maneat adhuc habilis? Quidam negant, quia verè non est adimpleta conditio, & licet vovens peccaverit eam impediendo, sufficit pro ista offensa satisfacere Deo per poenitentiam; non enim inde inferitur damnum Deo, sicut inferret homo homini, qui promittendo ei aliquid sub conditione, conditionis eventum inique impediret, ob quam causam in Jure obligatur stare promissis homini factis. Alii affirmant; quia, licet non sit re ipsa posita conditio, est tamen posita ad sensum votentis. Vovens enim sub conditione pendente ab alterius voluntate libera, aut a causis naturalibus, mens fuit vovendo se obligare, si conditio poneretur, aut infallibiliter esset ponenda, nisi per eum staret, quominus ponatur, & ita certò respondisset, si vovendo, aut statim post votum interrogatus fuisset. Alias dicendum, quòd non vovit sub conditione pendente a causis naturalibus, aut a libera alterius voluntate, sed a sua; & quòd irrisorie cum Deo egerit, quod non est supponendum. Ego, salvo meliori judicio, respondeo sub distinctione. Vovens in casu posito tenetur voto, si, secluso ejus impedimento, conditio infallibiliter, aut verosimiliter esset implenda: id probat ratio allata pro secunda Sententia. Si autem incertum maneat, an conditio poneretur, non tenetur voto; quia non censetur, se voluisse obligare, nisi aut poneretur conditio, aut infallibiliter esset ponenda, si per eum non staret.

Nec obstat, si dicas vim, fraudem, dolum nemini patrocinari debere; non enim vis, fraus, aut dolo hic patrocinantur votenti, sed incertitudo conditionis ponendæ.

Hinc inferes, voventem ingredi Religionem, si Pater consenserit, & agentem vi, fraude, ut Pater non consentiat, teneri voto, si seclusa vi, aut fraude Pater infallibiliter, aut verosimiliter consensisset; secus, si incertum maneat, an Pater consensisset.

Quæstio curiosa. Titius vovit, se, si Religionem amplectatur, Carthusianam amplecturum: quo pacto potest absque transgressionem voti, aliam minus austeram amplecti? R. Posse eo pacto, si nempe votum istud conditionatum mutet in absolutum ingrediendi aliam Religionem minus austeram, quod est ipsi licitum, quia vovens potest votum suum commutare in melius, ut dicemus infra: melius est autem vovere absolute Religionem minus austeram, quam conditionatè rigidiorum.

Specialia de Voto penali.

Votum penale, ut jam antea dixi, est promissio peccati sub conditione culpæ. Dupliciter fieri potest 1. Dum voves abstinere a culpa, & si non abstineas, subire talem penam, v. gr. voves non blasphemare, & si blasphemes, dare talem eleemosynam; & tunc est duplex votum. 2. promittendo simpliciter penam, si culpam committas; v. gr. si blasphemaverò, voveo dare talem eleemosynam. In hoc itaque voto penali, quovis modo fiat, si eventus sub conditione positus sit inculpabilis ratione sive oblivionis, sive inadvertentiæ, aut ignorantie, sive dispensationis supervenientis; sive alterius impedimenti, nulla est obligatio peccati subeundæ, quia non est promissa peccata nisi sub conditione culpæ; & in hoc distinguitur votum penale a merè conditionali.

Hinc resolves 1. Eum, qui vovit dare eleemosynam, si Sacrum v. gr. non audiverit, si pejeraverit, si blasphemaverit, non teneri ad eleemosynam, si Sacrum omittat, ut graviter infirmo succurrat, si pejeret tantum materialiter putans bona fide dicere verum, si blasphemet omnino inadvertenter, & ex subreptione: nisi forte quoad hunc ultimum casum voverit eleemosynam, non solum in peccatum culpæ, sed etiam ex intentione eradicandi inveteratam blasphemandi consuetudinem; tunc enim etiam ad eleemosynam teneretur, quatenus conducit ad refræandam hanc consuetudinem. Resolves 2. Eum, qui vovit non ludere, & si ludat, dare eleemosynam; obtemperantia dispensatione ludendi, non teneri ad eleemosynam, si ludat; quia tunc lusus non est culpabilis. Resolves 3. Eum, qui vovit audire Sacrum in die Festo, jejunare in vigilia Nativitatis, &c. & casu quo omittat dare eleemosynam; si inculpabiliter ignoret, aut non attendat ad diem Festum, ad vigiliam, aut si horum conscius, non recordetur voti, non teneri ad ele-

eleemosynam; quia in 1. casa non peccat; in 2. autem, licet peccet contra legem, non tamen contra votum, propter cuius transgressionem suppono ipsam sibi imposuisse penam. Secus, si propter ipsius legis transgressionem sibi penam imposuerit, ut in sequenti casu. Itaque, si unum tantum votum emisit dicendo: si non audiero Sacrum tali die festo, voveo dare eleemosynam, censeo, quod si omittat Sacrum memor Festi, licet immemor voti, teneatur ad eleemosynam, quia hanc penam sibi imposuit, non propter transgressionem voti de audiendo sacro (quod non emittit) sed propter transgressionem legis Ecclesiasticæ: & aliunde ad penam incurrendam non requiritur recordatio, aut cognitio penæ, sed sufficit legis transgressio, cui pena est annexa. Resolves 4. Quod, si culpa sit tantum venialis ratione subreptionis, aut advertentiæ imperfectæ, non sit obligatio ad penam; saltim ubi est gravis, quia iure præsumitur non fuisse mentem voventis, se obligare ad gravem penam propter levem culpam.

Petens tandem, utrum vovens penam absque determinatione quoad numerum, v. gr. voveo jejunare, si me inebriavero; dare eleemosynam, si blasphemavero; peregrinari ad limina Petri, si fornicatus fuero; teneatur ad penam toties quoties admittit culpam. R. Affirmative, si pena sit moderata, & solita repeti, ut est eleemosyna, jejunium, oratio, & similia; secus, si pena sit valde gravis, & insolita repeti, ut est dicta peregrinatio. Ratio est; quia fundatæ præsumitur, talem fuisse mentem voventis; & sic talia vota interpretarentur viri sensati, nisi forte ex circumstantiis aliud colligatur de intentione voventis.

ARTICULUS VII.

Qui possint vovere?

Dico 1. (Hic a. 9.) Omnis homo viator ratione sufficienti utens, quantum est ex se, hoc est nisi aliunde impediatur, potest vovere. Quia, cum possit cognoscere, amare, & colere Deum, ita & vovere. Dixi 1. ratione sufficienti utens; quia requiritur perfecta deliberatio ad rem tanti momenti. Unde, ut jam antea notavi, vota ante septennium emissa censentur invalida, post septennium valida, nisi ex circumstantiis appareat, & adfuisse sufficientem usum rationis ante septennium, & defuisse post septennium. Dixi 2. Nisi aliunde impediatur: potest ex duplici capite potest impediri. 1. auctoritate Ecclesiastica. 2. ex dependentia ab alterius voluntate.

1. Auctoritate Ecclesiastica quis vovere impeditur, quantum Ecclesia requirit certam qualitatem, & conditionem ad valorem voti, quæ alioquin ex natura rei non requiritur. Sicut Lex civilis requirit ad validitatem quorundam contractuum certas conditiones, sine quibus sunt invalidi. Nec ideo potestas Ecclesiastica Juri Divino derogat; quia, sicut Deus renittit obligationem votorum, in quibus Ecclesia dispensat, sic non acceptat ea, quæ Ecclesie non probantur; idque vi promissionis factæ Petro, ut, quod solveret in terris, esset solutum in Coelis. Sic de facto irritat vota sive simplicia, sive solemnia, quæ fiunt ex metu gravi injuste incesso ad hunc finem. Item vota solemnia ante annum probationis completum, & ante annum ætatis 16. completum. Hoc ultimum Jure novo Tridentini sess. 25. c. 15. de Regular. Quoad annum verò probationis antiqua est Constitutio Ecclesie, ut patet ex c. Gon-saldus, caus. 17. q. 2. Et ex Regula S. Benedicti, c. 58. Sic etiam irritabilia reddidit omnia vota Religiosorum, & impuberum, ut dicam infra.

Si dicas, Ecclesiam non habere jurisdictionem super actus merè internos; quædam autem vota posse esse merè interna quoad materiam. R. Ecclesiam non habere quidem jurisdictionem, ut præcipiat, aut prohibeat, coactivè præsertim, actus merè internos; nihil obstat tamen, quin habeat jurisdictionem gratiosam, apponendi scilicet certas conditiones actibus internis in favorem subditorum, non ut ligentur, sed ut liberi maneant: quivis autem homo censetur tali jurisdictioni dispensantis in votis, etiam merè internis.

2. Quis impeditur vovere ex subjectione, seu dependentia ab alterius voluntate. Duplex est autem dependentia voti ab alterius voluntate: una per se, se tenens ex parte voluntatis personæ voventis, puta Religiosi respectu Prælati, impuberis respectu Tutoris: utriusque enim voluntas secundum omnes suas actiones quodammodo subjecta est alienæ voluntati: nam Religiosus per votum obedientiæ se sui Prælati voluntati subdidit, sicut habetur c. 12. q. 1. &c. Si Religiosus. De Elect. in 6. ubi dicitur, Quod

velle, & nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei super caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependeat. Impubes quoque secundum Juris dispositionem plenum suæ voluntatis dominium non habet, sed Patri, vel Tutori, in cuius potestate existit, & a quo infirma ejus voluntas regi debet, subditur. Ita in Jure casus. 20. q. 2. &c. Mulier 32. q. 2. Non sic tamen hanc voluntatis dependentiam intellige, quasi aut Religiosus, aut impubes nihil omnino possit velle, aut agere sine consensu positivo Prælati, aut Tutoris; sed quod nihil possit velle, aut agere contra voluntatem Prælati, aut Tutoris. Agnoscat enim aperte S. Th. hic a. 8. ad 3. Religiosus posse aliquid ad horam facere, quando ad alia non occupatur a Prælato. Imò infra q. 104. a. 5. ad 3. dicit, quod Religiosi ad illa sola teneantur obedire, quæ possunt ad Regulam observantiam pertinere... Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinet ad cumulum perfectionis. Idem docet in 2. d. 44. a. 3.

Altera voti dependentia est secundum quid, ratione scilicet materiæ, quæ alterius juri, seu potestati est subjecta, cujusmodi dependentia reperitur in aliis personis alteri obligatis, ut si conjux voverit castitatem, servus longas orationes, filiusfamilias pubes eleemosynas ex bonis familie, &c.

Notandum hic insuper, ad faciliorem intelligentiam conclusionum sequentium, actiones Religiosi, quæ secundum se, seu ex objecto possunt esse materia voti, esse in quadruplici differentia. Quædam sunt præcepta sive per legem, sive per Regulam, aut audire Sacrum die Festo, servare silentium, tali tempore, &c. Quædam sunt posita in consilio, & concessæ Religioso, aut recitare Rosarium, meditari terram, &c. Quædam sunt prohibite secundum quid, hoc est, ne fiant sine licentia Prælati, quæ tamen licentia solet concedi, ut jejunare ultra præscriptum Regulæ, facere eleemosynam ex concessis ad usum, &c. quædam tandem, licet ex objecto bonæ, tamen sunt simpliciter prohibite, ita ut neque petita licentia soleant concedi, ut quod montalis peregrinetur extra claustra ad locum pium: & quantum ad has ultimi generis actiones non est magna difficultas; certum est enim votum de illis emissum esse nullum: tum quia non est bonum agere contra regulam, aut justum Superioris mandatum; tum etiam quia, licet concederetur dispensatio, non est melius bonum respectu voventis, nam melius est illi conformari regulæ, quam in ea dispensari. His præmissis,

Dico 2. (Art. 8. a.) Subditus qualiscumque, vel alteri obligatus, non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subditur, aut obligatur sine ejus consensu, ita ut ejusmodi vota sint vel irrita, vel irritabilia, ut explicabo modò. Ratio est; (Ibid.) quia nemo potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est omnino in sua potestate; atqui, quicumque est subiectus, aut obligatus alicui, quantum ad id quod est subiectus, aut obligatus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ab alterius voluntate: ergo.

Dico 3. Votum, emissum a subdito de re quidem secundum se bona, sed per superiorem, aut regulam prohibita secundum quid, ad sensum præcedentis notaminis, vel superioris, aut familiæ aliquid præjudicium ferente, non obligat in actu secundo, donec superior sciat, & approbet; quia sine tali consensu materia non est in potestate voventis. Teneatur autem vovens petere consensum, imò, saltim secundum plures, & aperire votum, si id necesse sit ad obtinendum consensum; nam ad hoc censetur, se tacite obligasse vovendo, alioquin frustra vovisset. Quod si vovendo intenderet votum exequi independentè a superiore, votum esset nullum omnino; quia tunc materia non esset bona. Et si exquereret de facto, peccaret propter injuriam, quam faceret ei, sub cuius potestate est.

Hinc inferes, Religiosum voventem peregrinationem extra claustra, famulum voventem longas orationes, filiumfamilias etiam puberem voventem aliquam eleemosynam ex bonis familie, uxorem voventem castitatem, graves macerationes; hos, inquam, hæc, & similia superiori, marito, familiæ aliquid præjudicium ferentia voventes non obligari, donec superior, aut maritus consentiat; quem tamen consensum, ut dixi, petere teneatur vi voti. Idem dic de marito vovente castitatem, longas peregrinationes &c. respectu uxoris, quia quoad usum conjugalem paria sunt juris viri, & uxoris.

Dico 4. Vota Religiosorum de rebus secundum se bonis, per regulam, aut superiorem non prohibitis (a fortiori præceptis) superiori, aut communitati non noxiis, emissæ, etiam inscio superiore, valida sunt, & obligant, donec superior ea irritet, aut contradicat. Idem dic de impu-

berè respectu tutoris, & a fortiori de iis, qui alteri subduntur secundum quid tantum, ut sunt uxor, famulus, filiusfamilias, &c. Est contra Palud. Valent. & quosdam alios. Prob. 1. Quia vovere est bonum, & nulla Lege prohibetur. 2. Quia, licet voluntas Religiosi aut impuberis dependeat a voluntate Prælati, aut Tutoris, non sic tamen dependet, quasi Religiosi, aut impuberis nihil possint velle, aut agere sine consensu positivo Prælati, aut Tutoris, sed sic ut nihil velint, aut agant contra ejus voluntatem, ut dicitur est supra: in omnia autem vota Religiosorum, aut impuberum sive ex natura rei, sive ex dispositione Juris subintelligitur hæc conditio, Si superior autem, ut dicitur, si omnino requiras consensum superioris, adest saltim interpretativus; hoc ipso enim quod res est bona, & eam non prohibuit superior, præsumitur voluntarius & consentientes interpretativè: ergo.

Unde, quando S. Th. dixit, talia vota non esse firma, non intellexit esse nulla, sed irritabilia per superiorem. Hæc enim cum agnoscere valida, patet ex sequentibus. Hic a. 8. ad 1. dicit: Quod non possit salvari ratio voti, cum quis in potestate alterius constitutus vovet id quod est in potestate alterius, nisi sub conditione, si ille, ad cuius potestatem pertinet, non contradicat; ergo adhibita illa conditio salvetur ratio voti: adhibetur autem, ut dictum est. Item clariss art. 9. ad 2. dicens, quod vota eorum, qui sunt in potestate aliorum, habent conditionem implicitam, scilicet, si non revocentur a superiore, ex qua licita redduntur & valida, si conditio existat; & Ibidem loquens de impuberibus dicit, quod, si ante amos pubertatis attingant usum rationis, possint quidem quantum in ipsis est se obligare; sed vota eorum possunt irritari per Parentes: ergo sunt valida, alias irritatione non indigerent.

Obj. Caput. 2. Monacho Caus. 20. q. 4. ubi dicitur: Monacho non licet vota vovere sine consensu Abbatis sui: si autem voverit, frangendum erit. R. Hunc Canonem esse dubie auctoritatis; neque enim est aliquis Pontificis neque S. Basilii, cui illum videtur tribuere Gratianus; si quidem in toto Basilio non reperitur nomen Abbatis, ut observant Auctores. Addi potest cum Glosa caput illud esse intelligendum de voto abstinentiæ singularis, quæ cæteri scandalizantur.

Ex dictis inferes, Religiosum voventem, etiam inscio superiore, quædam preces, macerationes leves, & similia, quæ sine detrimento obedientiæ, vel disciplinæ regulari observari possunt, ad eas obligari, quando non contradicit superior. Idem dic de impubere pollente pleno usu rationis. De irritatione autem istorum votorum dicemus infra. Inferes 2. (Ibid. ad 2. & a. 9. o.) Puerum & puellam puberes posse saltim valide independentè a voluntate parentum, imò & ipsis contradicentibus vovere castitatem, Religionem, eamque profiteri, sicut & matrimonium inire; quia sunt suæ potestatis quantum ad ea quæ spectant reverentiam, quæ illis debetur. Item uxorem independentè a marito valide vovere eleemosynas ex bonis paraphernalibus, quædam preces, leves macerationes, &c. Idem dic de servo.

ARTICULUS VIII.

Quot, & quibus modis relaxatur obligatio voti?

Dico: Obligatio voti relaxatur simplici cessatione voti, irritatione, dispensatione, & commutatione. Idem dicendum de juramento promissorio, aut voti confirmatorio, de quo infra. Hi autem varii modi distinctis §§. sunt expendendi. Unde

§. I. De simplici cessatione Voti.

Dico: Cessat votum 1. Mutatione materiæ, ut si fiat ex possibili impossibili, ex licita illicita, ex bona & meliori indifferens, aut minus bona, ut jam supra dictum est 2. Si ex aliquo accidente improvvisi adveniat licet longè difficilior. 3. Si tempus determinatum ad finiendam obligationem sit elapsus, ut etiam alibi notavi. 4. Si cesset finis principalis. Pro quibus omnibus esto

Regula generalis: Quotiescumque tanta intercedit mutatio, vel novum ac improvvisum impedimentum, seu accidens supervenit, quod, si ab initio fuisset, voti valorem & obligationem impedivisset, vel rationabiliter præsumitur potest intentionem se non extendisse ad talem, sed sine dubio excepturum fuisse, si in mentem ve-

nisset, aut de eo interrogatus fuisset, vel tandem tale quid occurrat, quod tolleret obligationem præcepti Ecclesiastici de tali re faciendâ, tunc extinguitur votum. Desumitur ex L. Pluribus. §. Et si placuit. ff. De verborum obligationibus, ubi dicitur: Obligatio extinguitur, in eam casum incidit, a quo incipere non potest.

Prob. etiam ratione. 1. Quia in votis ista conditio semper intelligi debet in quantum est licitum, rationale, & moraliter possibile. 2. Quia obligatio voti non debet extendi ultra intentionem formalem, aut præsumptam voventis, cum ab ea omnino oriatur & dependeat, ut sæpe jam dixi. 3. Quia, cum votum sit Lex privata, debet intelligi ad instar aliarum Legum, debet interpretari ad instar aliarum Legum. Confer, quæ dixi de Promissione §. 3. Attamen diligenter notandum est, mutationem hanc notabilem, seu impedimentum notabile occurrens, de quo loquimur, debere se tenere ex parte materiæ, vel executionis voti in ordine ad vires voventis, & non tantum in ordine ad ejus voluntatem; manente enim ipsa re ut antè moraliter possibili, regulariter manet obligatio voti, quantumvis voluntas mutata ab eo avertatur, alioquin nullum esset votum, nulla promissio, cujus obligatio, mutata voluntate promittentis, facillime non declinaretur ob exiguas causas. Advertendum insuper, utrum illa mutatio, seu impedimentum occurrens sit perpetuum, an temporale tantum. Si perpetuum, omnino extinguitur obligatio voti. Si temporale, suspenditur tantum sic, ut, eo cessante reviviscat obligatio voti.

Ex dictis resolves casus sequentes. 1. Vovisti ingredi Religionem, voti transgressor nupsisti, moritur uxor in tua senectute, in qua & tu Religioni minus idoneus es, & Religio tibi graviter incommoda; extinguitur votum notabili mutatione materiæ. 2. Vovisti edificare Templum opibus superabundè potens, patris gravem jacturam, qua, licet ad paupertatem non sis adactus, enormiter sunt imminuta opes, non teneris voto, nisi forte meliore ridente fortuna ad pristinum statum redeas. Eadem ratio ac antè. 3. Vovisti non ingredi hanc domum propter puellam in ea habitantem, quæ tibi est occasio peccandi: moritur puella, extinguitur votum, cessatione finis principalis: abest ad tempus, suspenditur obligatio, donec redeat. 4. Vovisti dare quotidie eleemosynam Petro in sublevamen ejus miserie: moritur Petrus, extinguitur votum, quia cessat finis principalis. At vovisti dare quotidie eleemosynam in peccatorum remissionem, & ex speciali aliqua ratione elegisti Petrum, cui quotidie tuam eleemosynam erogares, mortuo Petro non extinguitur obligatio voti; quia non cessat finis principalis. Habes exemplum in Jure cap. Magnæ. De Voto & Voti redemptione. Episcopus Trecentis ex motivo religionis & pietatis voverat ire Jerusalem, simul cum animo implorandi auxilium a Comite Campaniæ illic commorante, ad vindicandam Ecclesie suæ libertatem. Mortuo Comite existimavit Episcopus votum suum esse extinctum; at Pontifex consultus aliter censuit, & votum non extinctum in alia pia opera commutavit; quia non cessaverat finis principalis, aut saltim non totaliter. 5. Vovisti jejunia, peregrinationes, Sacra audire, &c. sed supervenit infirmitas, senectus, labor necessarius, quo excusareris ab obligatione Legis Ecclesiasticæ de jejunio, peregrinatione, Sacro audiendo, excusaris similiter ab obligatione voti.

Hic referri possent plures alii casus, quos jam antè resolvimus tum de votis mixtis, cum de tempore obligationis voti, & alibi.

§. II. De irritatione Voti.

Dico 1. Irritatio voti est ejus annullatio, seu cessatio facta ab habente potestatem in voventis voluntatem, aut in materiam voti. Quæ fit vi primæ potestatis, est directæ; quæ fit vi secundæ potestatis, est indirecta. Unde

Dico 2. Et sit principium generale: Quicumque habet potestatem dominativam in voluntatem voventis, aut in materiam voti, potest alterius vota irritare. Ita communiter. Dicitur potestas dominativa, quia quis disponere potest de persona vovente, aut materia voti, tanquam de re sua.

Ratio conclusionis est; (Art. 8. ad 1. & ad 4. & a. 9. ad 2.) quia vota eorum, qui alteri subduntur sive quoad voluntatem, sive quoad materiam voti, includunt tacite hæc conditionem, nisi superior, aut, in cuius interest, contradicat: & hoc tum ex dispositione Juris, ut patet de impuberibus in ipso Jure, & de Religiosis in ipsa praxi 10-

tus Ecclesie; tunc ex natura rei, quia absque hac conditione subditi illicitè & invalidè voverent, siquidem absolute disponerent de eo, quod est in potestate alterius; sic autem oportet interpretari votum, ut potius valeat, quam non valeat. Unde

Circa Vota Religiosorum.

Dico 3. Prælati Regularium possunt directè irritare omnia vota suorum subditorum, paucis exceptis. Quia habent potestatem dominativam in voluntates, & consequenter in omnes actiones suorum subditorum, adeo ut in omnibus eorum votis includatur præfata conditio, nisi Superior contradicat.

Dixi 1. Prælati Regularium: quo nomine intelliguntur Generales pro toto Ordine, Provinciales pro sua Provincia, Priores, Guardiani, Rectores, Correctores pro suo Conventu; Abbates, Abbatissæ, Priorissæ, Matres, & alii Superiores immediati: imò quidam existimant, quod, si nulla fraus interveniat, Superiores in nostro Ordine, Vicarii apud Minoritas in Societate, Priores sub Abbate, id etiam possunt in absentia priorum Prælatorum per unam diem naturalem.

Dixi 2. Paucis exceptis; quia excipitur 1. votum transeundi ad arctiorem Religionem, tunc ex speciali Juris dispositione, deroganti quoad hoc Superiorum potestati cap. Licet 18. de Regularibus: tunc quia absolute est in potestate voventis commutare votum suum in evidentè melius: tunc tandem, quia videtur absurdum, ut illud votum in arbitrio Superioris ponatur, per quod extrà illius potestatem subditi est constituendus. Potest tamen in eo dispensare ex legitima causa, ut dicemus infra. 2. Excipiuntur ipsa vota solemnia, & alia ipsis annexa, ut votum abstinence Quadragesimalis apud Minimos, redemptionis Captivorum apud Religiosos de Mercede; quia vota solemnia & ipsis annexa sunt fundamentum, cur habeant superiores in suos potestatem dominativam, & constituent statum, quem Superiores servare debent non everteret Cajetanus noster cum quibusdam aliis excipit etiam vota de rebus aliunde præceptis; ut de jejuniis in Quadragesima, de auditione Sacri in die Festo, de Horis Canonicis, de aliquo peccato vitando, &c. Sed communior & probabilior est sententia opposita; licet enim hujusmodi voti materia, prout subest Præcepto Divino, aut Ecclesiastico, sive Regule Ordinis, non pendeat a Superiore, pendet tamen, prout novam obligationem voti inducit proutque potest eam tollere, ita ut vovens contra faciens non nisi unum peccatum committat.

Ex his inferes, Prælatos Regulares non posse irritare vota Novitiorum, tam personalia quam realia, sive in Novitiatu, sive ante emissa; quia Novitii nondum sunt per votum obedientie subditi potestati dominativæ superiorum, sed adhuc sui juris: quia tamen vi privilegiorum in favorabilibus reputantur Religiosi, possunt Prælati cum eis in prædictis votis dispensare. Possunt etiam vota eorum personalia suspendere, quatenus eorum gubernationi & probationis exercitiis sunt impedimento; ita ut si Novitius non proficiatur, obligatio voti reviviscat. (Art. 12. ad 1.) Quod si proficiatur, omnia ejus vota saltem personalia ipso facto commutantur in vota solemnia Religionis; quia sunt particularium operum, & per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio mancipat; particulare autem in universali includitur. Unde Professio Religiosa omnia alia obsequia particularia quasi eminentè continet. (Ibid.) Adde, particulares observantias Religionis non competere, & Religionis onus satis hominem onerare, ut alia superaddere non oporteat. Quantum verò ad vota realia, juxta Sylvestrum verbo *Votum* 4. q. 7. transeunt ad Monasterium proportionatè ad valorem honorum, quæ recipit ab illo, aut fortè melius ad hæredes, si qui sint, non secus ac alia debita. Adverte tamen, quod, si illa Novitiorum vota facta essent ante annos pubertatis, possunt irritari a Prælati Regularibus, quippè loco Parentum & Tutorum succedunt.

Circa Vota Filiorumfamilias.

Dico 4. (Art. 9.) Omnia vota impuberum possunt directè irritari a Patre; vel eo deficiente ab eo, qui jure paterno gaudet. Impuberes, seu pupilli secundum Jura sunt masculi, qui non compleverunt 14. ætatis annum, & puellæ, quæ non compleverunt 12. Minorenes sunt, qui non compleverunt 25. Impuberibus, seu Pupillis constituitur Tutor, primariò ad personam Pupilli tuendam.

secundariò ad administranda ejus bona. Minoreni constituitur Curator, primariò ad bona ejus administranda, secundariò ad personam ejus regendam, ut dixi alibi.

Conclusio est communis cum D. Th. & colligitur ex variis locis Juris 1. caus. 32. q. 2. c. *Mulier*, ubi dicitur, quod, mulier in ætate puellari voverit, & ubi Pater audierit, statim contradixerit, non erit obnoxia voto. Excerptum est ex c. 30. Num. 2. Caus. 2. q. 2. ubi legitur, quod, si puella ante annum 12. velamen Sacrum assumpserit, possint Parentes, vel Tutores id factum irritum facere. 3. tit. *De Regularibus* c. 1. in 6. traditur, quod, si minor 14. annis ingreditur Religionem, liber sit, si major 14. annis, voto teneatur. Idem libr. 3. Extra tit. 31. *De Regular. C. Ad nostram*. Verum, si fortè hæc Jura non videantur satis efficaciter probare assertum pro omnibus votis; dicatur, meo saltem judicio, quod, cum id sit communi omnium sensu & praxi receptum, Jure gentium fuerit introductum, utopotè apprime consonum rationi & æquitati naturali; cum enim impuberes in illa tenera ætate ut plurimum sint infirmioris judicii & rationis, æquum est, ut aliena Patris, aut Tutoris voluntate regantur, adeoque quod in eorum omnibus votis, juramentis, pactis, obligationibus qualibuscumque semper intelligatur hæc conditio: *Si Pater, aut Tutor non contradicat*.

Dixi: *vel ab eo, qui jure paterno gaudet*. Porro hoc jus Paternum ad plures ordinariè extenditur. 1. Deficiente Patre, id assequitur Tutor, quamdiù durat officium Tutoris. Deficiente Tutore, Curator, qui saltem secundariò constituitur ad regendam Minorenis personam. Deficiente Curatore, Avus, Proavus, & ascendentes. His deficientibus, Mater, Avia, & ascendentes. Licet enim Mater non acquirat per mortem Patris hæc potestatem in Filium, nisi ipsa ejus Tutrix instituitur, deficiente tamen Patre & ceteris assignatis, videtur æquum ex ipso Jure naturæ, ut ipsa Filium regat & gubernet, idemque possit in ipsum, quod possunt prius assignati. Suarez apud Sporet existimat, idem etiam posse maritum respectu uxoris, dominum respectu servi, magistrum respectu discipuli, quoad vota in impubertate emissa: verum id licet non improbem ut absolute falsum, nolim tamen asserere ut omninò verum; quia non mihi constat de sufficienti fundamento.

Ex dictis resolves 1. Vota emissa ante pubertatem, licet adimplenda in ipsa pubertate, posse irritari a Patre, vel Tutore: quia hæc potestas fundatur in præsumptimè becillitate voventis, quæ tunc adit, quando vovit, & quia inclusa fuit hæc conditio, *Si Pater, aut Tutor non contradicat*. 2. Resolves, vota emissa ab impubere posse etiam irritari a patre, vel Tutore, non solum durante impubertate tempore, sed etiam postea, modo vovens pubes factus ea non ratificaverit. Ità communiter contra Soto, & idque propter rationes allatas in præced. resolutione. In his enim primordialibus natura & obligatio actus inspicienda est. Porro votum impuberis propter judicii infirmitatem a Patre pendeat, & hæc conditionem implicabat; *Si Pater non contradicat*, quæ tractu temporis non desinit adfuisse, nec auferentur, nisi, ut dixi, post pubertatem ratificatio accedat. Ut autem vovens censetur suum votum ratificare, necesse est, ut ejus debilitatis sit conscius, vel litque de novo se obligare, perinde ac si nusquam obligatus fuisset. Unde non sufficit præcisè, quod vel prius votum incepti exequi, vel illud sæpè renovaverit: hoc enim est prius vinculum approbare, non novum suscipere. 3. Resolves, vota emissa ab impubere, firmo licet & perfecto usu rationis pollente, esse nihilominus a Patre irritabilia; quia Jura respiciunt, quod communiter accidit; nec sic statuuntur, quia in hoc, vel illo est infirma ratio, sed quia plerumque in illa ætate deficit.

Dico 5. (Art. 8. ad 2.) Quantum ad vota filiorum, emissa post pubertatem adeptam, illa solum possunt a patre indirectè & ratione materiæ irritari, quæ & quatenus liberæ patris potestati in expedita familia rerumque suarum administratione sunt nocumento; (Ibid.) quia in his solum subditiuntur patri: in aliis vero sunt sui juris. Idem dic, de votis servata, de votis servorum respectu domini, & de votis Novitiorum respectu Prælati.

Hinc inferes, vota filiorum pubertem de longis peregrinationibus, de continuis orationibus, de gravibus macerationibus, quibus familia perturbatur, necessaria obsequia negliguntur, aut infirmitas timetur, & maxime de elemosyna faciendâ ex bonis familie esse irritabilia, secus vota castitatis, Religionis, sacrorum Ordinum, Confessionis, Communionis menstruæ, elemosynæ de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, & similia. Si obli-

cia cap. 30. libri Numer., de quo conclusionem præcedenti. Respondeo intelligendum esse, vel de filia impubere, ut insinuat his verbis, *in ætate adhuc puellari*; vel esse judiciale, quod amplius non viget.

Circa Vota Conjugum.

Dico 6. Vota uxorum solum indirectè & ratione materiæ irritari possunt a maritis, quatenus nempe ipsis in conjugii usu, familie gubernatione, & rei familiaris administratione, sunt nocumento, ut votum continentie, multarum sive macerationum, sive orationum, sive peregrinationum elemosynarum ex bonis familie. Vota verò sive personalia, sive realia, quæ Juri maritali nullatenus derogant, ut votum aliquarum vel precum, vel macerationum, vel confessionum, elemosynarum ex bonis paraphernalibus &c. irritari non possunt a maritis. Est communior & probabilior cum Sylvestro, Navarro, Sylvio, & aliis, contra Soto, Arragon, & alios.

Ratio est; quia, licet uxor sit subdita viro quoad vinculum & jura matrimonii, nimirum in vite societate, usu matrimonii, prolium educatione, & familie administratione, unde probatur prima pars conclusionis; non est tamen illi subdita per se & simpliciter quoad voluntatem, neque consequenter quoad actiones omnes suas liberas eo scilicet modo, quo Religiosus subditi Prælati, aut impubes patri: ergo. Prob. Ant. omnimoda illa subjectio & dependentia uxoris a viro nullo Jure fundatur, non Jure naturæ, aut gentium, ut dicebimus supra de impuberibus; quia mulieres majori judicii firmitate sunt præditæ, quam impuberes, alioquin non conjugate forent semper tutoribus subditi: non Jure positivo, nullum enim extat. Quod autem assertur ex c. 30. Numer. est judiciale, non amplius ligans, aut certè intelligitur de votis juri matrimonii derogantibus, nempe de gravibus corporis afflictionibus. Non denique ex contractu & vinculo matrimonii: hæc enim extenduntur tantum ad corporis usum & familie administrationem: ergo.

Si dicas, S. Thomas hic a. 8. ad 3. docere, nullum votum uxoris esse firmum sine consensu viri, R. S. Doctorem non dixisse *nullum votum uxoris, sed votum uxoris*: Cum enim dixisset, *nullum votum Religiosi esse firmum sine consensu Prælati* subdit: *sicut nec votum puellæ existentis in domo patris, nisi sit de consensu patris, nec uxoris nisi sit de consensu viri*. Unde patet, S. Doctorem non fecisse comparationem quoad validitatem votorum, sed quoad rationem infirmitatis eorum, ita ut sensus sit: sicut nullum votum Religiosi est firmum, quia nulla est actio, in quo non subditiuntur Prælati; ita votum puellæ, aut uxoris in his, in quibus subditiuntur patri, aut marito, non est firmum: aliis, cum loquatur de puella indefinitè, non distinguendo inter puberem, aut impuberem, sequeretur quod puella pubes nullum posset emitte votum firmum sine consensu patris, quod est falsum, & negatur ab eodem S. Doctore ibidem ad 2. & quodl. 3. a. 18. o. dicit, quod mulier, quæ vovit non petere debitum, maneat adstricta voto, quia hoc est voluntatis, id est, quia est libera & sui juris quoad hoc.

Dico 4. Uxor potest etiam indirectè irritare vota mariti, quæ juri suo matrimoniali derogant, ut votum continentie, longinquæ peregrinationis, enormium austeritatum, & similia, quibus redderetur ineptus ad debitum conjugale, & officia domestica, aut mutuum societatem notabiliter violarent: quoad hæc enim pariter juris sunt vir & uxor. Excipit votum peregrinationis Jerosolymitanæ in subsidium Terræ Sanctæ: quia quantum ad istud Canones derogant juri uxori.

Sed quid de voto non petendi debitum ab uno conjugate emisso, de quo jam prælibatum est, potestne irritari ab altero. S. Thomas, ut modò dicebam, quodlib. 3. a. 18. o. dicit, sententiam negantem esse veriorè; quia, inquit, *reddere debitum est quidam necessitatis*; sed *petere est voluntatis*, hoc est, conjugii liberum. Et tamen in 4. d. 32. q. 1. a. 4. ad 3. dicit, sententiam affirmantem esse probabiliorè; quia, si alter numquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unum semper confusionem debiti petendi subire. Verum, ut hæc sententia in speciem opposita, quæ etiam hinc & inde suos patronos habet, concilietur, censeo, respondendum esse ad questionem sub hac distinctione: hoc votum secundum se & ex objecto consideratum non est irritabile a comparte; quia, ut dixi, S. Th. 1. loco cit. petere debitum non est necessitatis, sed liberæ voluntatis, & ad hoc conjux est sui juris: sed per accidens attempto inconveniens. *Theol. Billuart. Secunda Secundæ.*

niente, de quo S. Doctor 2. loco cit. quod regulariter sequitur, maxime si vir voveat, est irritabile tamquam ea ratione de minori bono. Et generaliter loquendo idem est dicendum de omnibus conjugum votis, quæ licet sint secundum se & ex objecto bona & valida, si tamen inde sequatur inconveniens, puta quod compar admodum agrè ferat, nascantur odia, rixæ, turbetur pax & mutua societas &c. sint a comparte irritabilia tamquam majoris boni impeditiva. Hæc salvo meliori judicio.

§. VIII. *Varie difficultates resolvuntur circa præcedentem materiam.*

Queritur 1. Utrum præditus facultate vota irritandi, si vovendi licentiam dedit, aut votum emissum approbavit, possit hoc non obstante votum irritare: R. Affirmativè de illo, qui potest votum irritare directè & ratione domini in voluntatem voventis, etiamsi promississet licentiam datam, aut approbationem non revocare. Ità communiter. Ratio est: quia idè non desinit esse superior, aut habere potestatem regendi voluntatem subditi etiam quoad hunc actum; hanc enim a se abdicare & juri suo cedere non voluit, imò nec potuit, cum illud jus non a se, sed vel a natura, vel a lege habeat. Confirmatur. Tale votum potest irritari a successore secundum omnes: ergo idem potest, qui consentit in illud, quia æqua est utriusque potestas.

Dices cum Richardo, 1. Tale votum non est amplius pendens, sed transit in absolutam, cum conditio tacta, quæ illi inerat, sit impleta. 2. Promissio facta alteri homini de consensu Prælati non potest ab eo revocari: ergo nec promissio facta Deo. R. Ad 1. N. Ant. alias non posset irritari a successore, quod tamen concedit adversarius. Itemque dicendum est, semper inesse tacitam conditionem scilicet, *Nisi superior aliquando contradicat*. Ad 2. N. Conseq. quia superior in regendo subdito non tenet locum promissarii, ut vice illius jus illi acquisitum remittere possit. Tenet autem locum Dei, & ita jus Deo acquisitum remittere potest. Adde, Deum vota subditorum non acceptare contradicentibus eorum superioribus; secus de homine.

Quantum verò ad eos, qui possunt tantum vota irritare indirectè & ratione materiæ, mihi videtur difficultas, quia hi possunt cedere juri suo. Quapropter censeo, si promittendo, aut approbando votum intenderit cedere juri suo, non posse amplius illud irritare; si autem simpliciter consenserit, aut dixerint tantum se non contradicere, non intendentes cedere juri suo, posse. Sed quando censendi sint cedere, aut non cedere juri suo, nisi verbis id expriment, hæc facile est discernere. Arbitror tamen, tunc cedere juri suo, quando promittunt se licentiam, aut approbationem datam non revocatos. Item, si conjux permittat alteri vovere castitatem, aut ejus voto facto consentiat, ex interpretatione Juris, censetur cessisse juri suo, sic, ut votum istud irritare non possit. Ità Glossa in cap. *Manifestum* 33. q. 5. si tamen revera expressè intendisset non cedere juri suo, posset secundum Innoc. cap. 1. *De convers. conjugat.* & alios. Item, quando ambo conjuges ex mutuo consensu vovent castitatem, censentur cedere juri suo, Cap. *Dudum De conversat. conjugat.* Ità ut neuter possit alterius votum irritare, etiam Aug. Ep. 199. ad Hedicam, & Doctores communiter. In aliis vero casibus conjice ex circumstantiis, ubi verba desunt.

Queritur 2. Utrum vota irritari possint sine causa? R. Possunt valide, sed non licitè. Ratio 1. partis est; quia facta sunt sub hac conditione tacta, *Si superior, aut is cujus interest non contradixerit*; unde ipso contradicente sive cum causa, sive sine causa, evanescit votum. Ratio 2. partis est; quia, licet irritans utatur irritando jure suo, debet tamen illo uti rationabiliter, & non ad impediendum absquè causa cultum Dei. Quapropter non solum irritans, sed etiam petens irritationem peccat, non tamen plusquam venialiter, ut communiter tradunt Auctores, nisi fortè irritans prius licentiam vovendi dedisset, aut voto consensisset, aut, quod majus est, nisi consensum datum non revocare promississet: in his enim casibus tam irritans, quam petens irritationem secundum communiorè Doctorem sententiam peccant graviter, mortaliter, vel venialiter pro ratione materiæ; quia inquit, materia erat jam obstricta Deo etiam de consensu superioris, ita ut revocato sine causa tali consensu quasi violetur votum, & cultus Dei impeditur, non sine gravi Divini Numinis injuria; idque confirmant ex cap. 30. Num. ubi dicitur de Marito, qui voto Uxoris consenserat, & illud postea irritaverat: quod *Portabis ipse iniquitatem ejus*.

id est, poenam iniquitatis. Per quod intelligitur grave peccatum, cum veniale non solet intelligi nomine iniquitatis. Ita, inquam, plures & graves Auctores, Cajet. Navarr. Arrag. &c. Non desunt tamen aliqui, qui tantam irreverentiam in hoc facto non agnoscunt, sed tantum aliquam infidelitatem & inconstantiam, quæ culpam venialem non excedunt: & ad legem Num. 30. dicunt esse judicalem, quæ nos non spectat. Ea sententia eo minus mihi improbat, quod non sint multiplicanda peccata mortalia absque gravi & aperto fundamento.

Quæritur 3. Utrum vota semel irritata reviviscant, quando vovens a potestate irritantis manumissus est? R. Vota semel & absolute irritata nunquam reviviscunt, quia irritatio est extinctio obligationis voti. Quæ verò tantum sunt suspensa, reviviscunt, dum vovens est sui juris; quia tunc obligatio voti non extinguitur, sed suspenditur dumtaxat ratione materię, quæ est alteri obligata; unde cessante hac obligatione redit votum.

Hinc sequitur 1. vota Religiosorum & impuberum, irritata a Prælato, Patre, vel Tutore, nunquam reviviscunt; quia talis irritatio, cum sit directa nempe ratione domini in voluntatem vovens, est absoluta. Sequitur 2. vota uxorum, aut servorum, ante matrimonium, vel servitutem emissa, & a marito, aut domino irritata, seu potius suspensa, dissoluto matrimonio, aut finita servitute reviviscunt; quia, cum neque ratione subjectionis personalis, neque ratione materię emissa sint sub hac conditione, Nisi maritus, aut dominus contraxerit, ab eo non potuerunt absolute irritari, sed tantum suspendi, quatenus ejus juri derogant: unde cessante tali derogatione reviviscunt. Sequitur 3. sãtem ut mihi probabilis videtur, vota uxorum, puberum, servorum, etiam Novitiorum, emissa tempore subjectionis, si protendantur usque ad tempus libertatis, non absolute irritari a marito, patre, domino, aut Prælato, ideoque reviviscunt, quando vovens fuerit sui juris re manente integra. Quia assignati non habent potestatem irritandi hæc vota simpliciter & absolute, sed tantum indirecte ratione materię, quatenus est ipsis obligata; unde ea tantum suspendere possunt, quandiu durat ista obligatio, ea verò cessante, votum ratione illius impeditum, aut suspensum omnino reviviscit.

Neque dicas, hæc vota emitti sub hac tacita conditione, Nisi is, cujus interest; contradicatur; quia is, cujus interest, non potest contradicere, nisi quatenus talia vota derogant illius juri ratione materię, quæ ipsi est obligata, & sic intelligenda est apposita conditio: sicque contradicere non potest pro tempore, quod nullum fit ipsi præjudicium.

Confirmatur ex Jure c. Placet De conversat. conjugat. ubi decernitur uxorem, quæ invito marito Religionem professæ est, & ab eo revocata, postea, marito mortuo, ad Monasterium quidem non esse compellendam, quia professio irrita fuit, repugnante marito: nihilominus a petendo debito, & a secundis nuptiis arcendam; quia nimirum in Professione, etsi aliis irrita, includebatur tamen virtualiter, ex speciali interpretatione Juris, votum continentię seorsim obligans, quod a marito non potuit simpliciter revocari, sed solum suspendi, quatenus in ejus præjudicium esset, manente de cetero obligatione continendi, quæ mortuo conjugate tota reviviscit.

Quæritur 4. utrum Papa possit irritare vota omnium fidelium? R. Posse irritare vota omnium Religiosorum, quia est Prælati Prælatorum omnium Religionum, cui omnes Religiosi obedientiam vovent. Item vota Ecclesiasticorum de rebus Ecclesiasticis & Beneficialibus ratione materię, quæ illi subjecta est. Cæterorum autem fidelium non potest, quia vota illorum non sunt illi subjecta, neque ratione materię, neque ratione domini in illorum voluntates. Non ratione materię, quia non omnia negotia, sive privata, sive publica Laicorum, neque omnia eorum bona opera ab ejus arbitrio pendent, sed ea tantum, quæ Ecclesiam universam spectant. Non ratione domini in eorum voluntates, non enim voverunt illi obedientiam sicut Religiosi suis Prælati. (In 4. d. 38. q. 1. art. 4. q. 1. o.) Quapropter in illorum votis non inest illa conditio tacita, quæ ejus consensus respiciat. Nec dicas ideo, Christum Ecclesię suæ defuisse; quia, licet Papa non possit vota omnium fidelium irritare, potest tamen ex justa causa in eis dispensare.

§. IV. De Dispensatione Voti.

NOta Dispensare in voto non est idem, ac judicarem materię, voti non esse Deo acceptam; aut ipsam

non obligare, ut quidam existimant; id enim est interpretari votum, non dispensare in voto, & magis pertinet ad Doctores, quam ad Prælatos. Igitur, juxta S. Th. (1b. q. 1. a. 4.) dispensare in voto est voti obligantis vinculum relaxare, seu ab observatione voti deobligare voventem, qui aliis de jure erat obligatus. Unde, cum S. Doctor dixit hic a. 10. quod dispensare in voto sit determinare votum non esse servandum, id determinare sic debet intelligi, ut non fiat tantum per scientiam, seu iudicium, sed etiam per auctoritatem, secundum quod a. 12. dicit ad dispensationem voti requiri auctoritatem Prælati, qui in persona Dei determinat, quid sit ipsi acceptum.

Dico 1. Certo esse in Ecclesia potestatem dispensandi in votis. Hæc conclusio prob. 1. ex perpetuo usu Ecclesię. 2. Ex Scripturis. Matth. 16. Christus loquens Petro dixit: Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælo. Et 18. alloquens Apostolos: Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis: quæ verba, cum sint generalia, debent intelligi de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest, & aliquando solvi expedit. Item Apost. 2. Cor. 2. Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. Ubi Apostolus significat, se condonasse poenam peccati; quod Ecclesia facit per Indulgentias. Ex quo colligit S. Doctor (Hic a. 12. o.) & alii cum ipso, debita orta ex voto, vel juramento posse per Ecclesię Prælatos nomine Dei condonari, seu remitti. 3. Ratione fundata in laudatis Scripturis: Dominus concessit Ecclesię potestatem solvendi a vinculo culpæ & pœnæ: ergo etiam a vinculo voti & juramenti, cum id pariter expediat salutem animarum, & suavi Ecclesię regimini.

Dices: Observare votum est de Jure naturæ; atque Ecclesia non potest dispensare in Jure naturæ: ergo. R. D. Majorem: (In 4. d. 38. q. 1. ad 2. & hic a. 10. ad 2.) observare votum, durante voti obligatione, est de Jure naturæ, C. Majorem: cessante voti obligatione, N. Majorem Dispensatio autem tollit obligationem voti, ut dictum est, unde ejus observationem non urget amplius Jus naturæ. Sic, licet observare legem humanam, quamdiu obligat, sit de Jure naturæ, qui tamen in ea dispensat, non dispensat in Jure naturæ, sed dispensando tollit obligationem legis; quæ sublata, observatio legis non est amplius de Jure naturæ. Similiter in voto.

Dico 2. Potestas dispensandi in votis Jure ordinario competit solis Prælati, qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo. Quia 1. Hæc potestas pertinet ad externum Ecclesię regimen, sicut potestas dispensandi in legibus, indulgentias conferendi, censuras ferendi, &c. 2. Quia hæc potestas non est Ordinis, sed Jurisdictionis, unde non competit cuivis Sacerdoti, nec ad eam requiritur Sacerdotium, aut Ordo Sacer, sed solum Jurisdictio Ecclesiastica in foro externo, qualis est in Episcopo confirmato, licet nondum Saceris Ordinibus initiato. Ex delegatione autem, aut privilegio convenire potest illi, qui jurisdictionem ordinariam non habent in foro externo, sed tantum delegatam.

Hinc sequitur, SS. Pontificem posse jure ordinario dispensare in omnibus votis omnium fidelium, exceptis secundum nos votis solemnibus, de quibus infra. Episcopum in omnibus votis suorum Diocesanorum, similiter Capitulum Sede vacante, item Nuncium Apostolicum in sua Provincia, Prælatos regulares exemptos in votis suorum Religiosorum, Generalem in toto Ordine, Provinciales in sua Provincia, & probabilis Superiorem localem in suo Conventu; quia hoc ipso quo aliqua Religio eximitur per Pontificem a jurisdictione Episcopi, conceduntur Prælato ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis: id etiam posse erga novitios, probabilior est sententia, quia infirmitatibus gaudent Privilegio sui Ordinis. Archiepiscopi dispensare etiam possunt cum suis Suffraganeis, non tamen cum eorum subditis, nisi per viam appellationis. Excipit erga omnes assignatos quinque vota Papæ reservata, de quibus modo. Sequitur 2. e contra, quod dispensare non possint Prælati non exempti; quia id ipsis non conceditur a Papa; neque Abbatisse etiam exemptæ, quia non habent jurisdictionem spiritualem, (supra tamen & illi & istæ suorum vota irritare, ut possunt dictum est) neque Parochi, aut Decani, quia carent jurisdictione in foro externo.

Potes, utrum hi, qui possunt cum aliis dispensare jure ordinario, quales sunt Papa, Episcopi, Prælati regulares exempti, possint etiam secum dispensare? R. 1. Extra dubium est, eos posse dispensare secum indirecte, nimirum dando alicui ex subditis potestatem, qua in ipsorum votis dispenset; sicut possunt dare potestatem ipsos

absolvendi a peccatis, ut colligitur ex Cap. Finali. Dicitur. & remissis. ubi datur illis potestas sibi eligendi Confessarium, & alioquin superiores forent peioris conditionis, quam subditi. R. 2. Probabile est, Prælatos posse secum etiam directe dispensare in votis propriis. Prob. Si quid obstaret, esset defectus jurisdictionis in seipsum; jurisdictionem enim videtur postulare distinctionem personarum, unde nemo potest seipsum a peccatis absolvere, censuris ligare, &c; atque hic defectus non obstat: ergo. Prob. Min. Quod jurisdictionem postulet distinctionem personarum, ideo est, vel quia est coactiva, exercenda scilicet in invitum, ut est potestas ferendi censuras; vel quia est contentiosa inter partes jus distribuens, non enim æquum est, ut quis in propria causa sibi jus dicat contra jus adversarii se opponenti; vel quia pertinet ad abolitionem Sacramentalem, quæ Jure Divino postulat distinctionem Juridicam, & Rei: atque jurisdictionem, quæ requiritur ad dispensationem, nihil horum est: ergo. Confirmatur: dispensatio votorum est relaxatio, seu condonatio quædam facta nomine Dei; atque condonatio non postulat distinctionem personarum; qui enim habet auctoritatem remittendi, seu condonandi omnibus Regi debentibus, potest etiam sibi condonare, seu remittere. Unde S. Th. (In 4. d. 20. q. unica a. 3. ad 3.) docet, neminem posse quidem seipsum excommunicare; quia excommunicatio fertur per modum Sententię, quam nemo in seipsum ferre potest, cum non possit idem esse Reus, & Jdex; posse tamen sibi dare Indulgentias, quia indulgentia non datur per modum Sententię, sed per modum cujusdam dispensationis. Idem dic de voto.

Dico 3. Multorum est Sententia, Religiosos ab Ordinario approbatos, & a suis superioribus deputatos ad Confessiones sæcularium excipiendas posse ex Privilegio Summi Pontificis dispensare in omnibus votis sæcularium. Pontifici possunt Episcopi de Jure ordinario, in quibus sive personalibus, sive realibus, sive mixtis, si quinque SS. Pontifici reservata excipias. Ita Lessius hic Dub. 18. n. 134. citans Navarrum, & Lopez, Sporer tract. 3. in 2. præcep. Decal. c. 3. sect. 3. num. 54. citans Delugo, & alios. De la Cruz libr. 2. De statu Relig. c. 6. Dub. 8. n. 11. Henno, q. 3. De voto a. 9. §. 2. Conclus. 3. Lezana Tom. 3. verbo Votum num. 22. Ubi retract. Sententiam oppositam, quam sustinuerat Tom. 1. c. 19. num. 22.

In probationem hujus Sententię profertur 1. Privilegium ab Innocentio VIII. concessum Minoribus, dispensandi in votis sæcularium, excepto voto peregrinandi ultra duas dietas, id est, 20. leucas. Idem absque hac restrictione fertur concessisse Martinum V. sed juxta Lezanam tom. 1. cit. istud Privilegium Innocentii VIII. est vive vocis oraculum: omnia autem vive vocis oracula in gratiam Regularium revocata sunt per Urbanum VIII. anno 1631. constitutione, Alias felicis: & juxta eundem Lezanam loco cit. non constat, an Privilegium Martini V. sit authenticum, an per Bullam, in per vive vocis oraculum. 2. Profertur Privilegium concessum ab Eugenio IV. ann. 1436. Benedictinis Congreg. S. Justine; seu Cassinensis, Bulla Regularium vitam, 9. apud Cherubium §. 16. ubi habetur: Dicitur Congregationis Prælati, sive monachos deputatos a suis superioribus ad audiendum Confessiones, posse sæcularibus ad se venientibus absolutionis officium impendere ab omnibus peccatis, & dispensare super omnes casus, præter ea peccata, & eos casus, de quibus ipsis Confessoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum, aut de quibus esset Sedes Apostolica Lezana, tom. 1. jam cit. obscure satis loquitur ad intentum, ut proinde Rodriguez dicat nihil valere ad illud. Fatetur tamen ibidem, Mirandum tenere oppositum, imo ipsemet numero sequenti agnoscit illud valere pro commutatione votorum, quidni pro dispensatione? cum de ista fiat expressa mentio. Porro, si valeat, sequitur Privilegiatos posse dispensare, non solum in suis Ecclesiis, aut in Tribunali Pœnitentię, ut quidam volunt, sed etiam alibi: quia, ubi Privilegium non restringit, nec distinguit, non debemus restringere, aut distinguere. 3. Profertur aliud Privilegium ejusdem Eugenio IV. pro Benedictinis Valisoletanis, quod juxta eundem Lezanam tom. 3. verbo Votum. n. 22. legitur in Bullario Rodriguez in Eugenio IV. Bulla 25. & cuius textum refert de verbo ad verbum. Igitur in hac Bulla concedit Pontifex, ut Prior, sive Præsidentis dicti Monasterii pro tempore existens, & tres, vel quatuor idonei Presbyteri Monachi, per prædictum Priorem, sive Præsidentem, ad hoc pro tempore deputandi, & ad ipsius Prioris sive Præsidentis nutum revocandi, quorumcumque utriusque sexus fidelium ad dictum Monasterium, seu ipsius Ecclesiam... confluentium... Confessiones diligenter audire, Theol. Bullar. Secunda Secunda.

nec non ipsos a quibuscumque peccatis, criminibus, excessibus, & delictis suis, in omnibus & singulis casibus, etiam Episcopo reservatis, absolvere: necnon ab omnibus & singulis Ecclesiasticis Sententiis, censuris & pœnis, fulminationibus excommunicationum, suspensionum, & interdicti a Jure, vel ab homine prolatis, contractis in genere tantum... etiam absolvere, ac eos habitare in prædictis casibus... ac cum eis & eorum quolibet dispensare supra votis etiam Episcopo reservatis, & ea commutare in alia pietatis opera, toties quoties devotioni prædictorum videbitur expedire... quamdiu fuerint in observantia regulari. Porro istud Privilegium, cui non solum totus Ordo Benedictinus, sed & omnes alii Ordines, saltim Mendicantes, communicant, continet quasdam limitationes, ut patet. 1. Ut Confessarii, de quibus est quæstio, sint in numero determinato revocabiles. 2. Non gaudent facultate dispensandi concessa, nisi quamdiu fuerint in observantia Regulari. 3. Non possunt ea uti extra suam Ecclesiam, aut Monasterium, bene tamen extra Sacramentum Pœnitentię; quia Privilegium limitatur ad primum, & non ad secundum. Ex quibus omnibus bene perpensis apparet, quod hæc Sententia, suæ probabilitati qualemque relicta, non sit tutæ praxis, nisi quid expressius adieratur, & quam ideo nemini consulo, præsertim, cum Regulares possint aliunde prospicere tranquillitatis conscientiarum, scilicet per commutationem votorum, ut dicam infra.

Dico 4. Quinque vota, scilicet Religionis ingrediendę, Castitatis perpetuę, Peregrinationis in Jerusalem, ad S. Jacobum, & ad Limina Apostolorum Petri & Pauli, a solo Papa sunt dispensabilia; quippe qui ea sibi reservat, restringens quoad hoc potestatem ordinariam Episcoporum. Constat hæc reservatio ex consuetudine & stylo Curię Romanę. Quidam citant Extravag. Eius Domini 2. tit. De Pœnitentię & Remissis. Ubi Sixtus IV. hæc quinque vota sibi reservat, & excommunicat Confessarios, qui præsumperint ea commutare; sed videtur Pontifex loqui respective ad eos Confessarios tantum, qui præterita facultatem ab ipso Pontifice concessarum præsumebant ea commutare, ut forte latius dicam infra.

Nec obstat, quod S. Th. (Hic a. 12. ad 3.) recenseat tantum duo vota reservata, continentię scilicet, & peregrinationis Terrę sanctę. Ideo fortasse quod suo tempore non essent plura reservata. Adde, non negare plura esse reservata, sed ea duo afferre in exemplum; Vota verò majora, inquit, puta continentię & peregrinationis Terrę sanctę, reservantur SS. Pontifici. Non etiam obstat, quod idem S. Doctor in 4. d. 38. q. 1. a. 4. q. 2. & hic q. 184. a. 6. & q. 189. a. 7. videatur docere omnia vota perpetua esse SS. Pontifici reservata. Non enim ibi loquitur de omnibus votis perpetuis, sed in primo loquitur de votis perpetuis similibus voto Religionis, de quo specialiter loquebatur. In aliis verò locis loquitur de voto, quod Episcopus juxta ipsum dicitur emitte in assumptione Episcopatus, non deserendi Ecclesiam suam. Vide Sylvium hic a. 12. Conclus. 2.

Dico 5. Hæc quinque votorum reservatio comprehendit tantum vota proprie dicta, certa, absoluta determinata, integra, & ea quoad substantiam dumtaxat, non quoad circumstantias. Quia, cum sit odiosa, utpote potestatem ordinariam Episcoporum restringens, est stricte interpretanda, & ad vota ex omni parte perfecta restringenda, adeo ut, quotiescumque deest aliqua ex assignatis qualitatibus, possint Jure ordinario ab Episcopo dispensari; & ex Privilegio, si quod sit, a Regularibus. Unde Inferes 1. Vota, seu promissiones sacras factas B. Virginii, aut aliis Sanctis absque relatione promissionis ad Deum, etsi fiant in materia reservata, non esse tamen reservatas; quia non sunt proprie vota; votum enim fit soli Deo, ut ante dictum est.

Inferes 2. Vota dubia non esse reservata; quia reservatio utpote odiosa, ut dixi, non debet extendi nisi ad certos casus. Imò Navarrus, Lessius, & alii, quos citat & sequitur Sporer, existimant votum certum, sed metu iniusto extortum, etiam levi (ex gravi enim foret irritum) non esse reservatum; quia, inquit, non est præsumendum, SS. Pontificem tale votum sibi voluisse reservare. 1. Quia est facilis dispensationis. 2. Ob imperfectionem actus. 3. In odium iniuste extorquentis, ne illud reservando favere videatur ejus iniquitati. Inferes 3. Votum castitatis ad tempus non esse reservatum, item nec votum castitatis conjugalitatis, votum non nubendi, non fornicandi, non se polluendi; quia reservatio intelligitur de castitate perpetua & integra, seu simpliciter dicta; item nec vo-